

1 Illustrissime, et Reverendissime Domine. Etsi non solum mihi,  
sed etiam omnibus aliis, qui res praeclare gestas Reverendissimae  
D.V. novimus, et praesertim studium, quod adhibet in conservanda, et  
5 propaganda catholica religione, iucundissima fuisset praesentia Am-  
plitudinis vestrae, per occasionem visitandorum liminum sanctorum  
apostolorum; tamen non dubitamus verissimum esse, quod eadem Illus-  
trissima D.V. scribit de suis multis, gravissimisque occupationibus,  
et malum omnino carere consolatione spirituali, quam extant<sup>i</sup> epi-  
scopi praesentia caperemus, quam ut ecclesia illa careat, vel ad  
10 breve tempus, sollicitudine necessaria vigilantissimi sui pastoris.  
Ego vero libenter vidi, et audivi Reverendum Dominum Zachariam Fur-  
tembach, quem vice tua tum ad limina visitanda, tum ad alia negocia  
peragenda mittere placuit; et quod in me erit, dabo operam, ut neg-  
ocia ipsa breviter, et feliciter, et quod caput est, secundum volun-  
15 tatem Amplitudinis vestrae expediantur. Quod si deinceps ulla alia  
in re opera mea D.Vestrae Illustrissimae utilis esse poterit, prae-  
sto erit semper dum vixero. Precor autem Deum, ut spiritu suo sanc-  
to confirmet Amplitudinem vestram in omni opere bono, quo magis, a  
ac magis de catholica ecclesia bene mereri pergat, atque a Deo mer-  
20 cedem plenam sui laboris accipiat.

Romae 5 martii 1607.

Epist. famil. LI.

*Heinrich von Knöringen*